

« si is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur, et si per ejus incuriam aliquid nefandum contigerit, graviori subiaceat ultioni, » ut ibidem statuitur. (ADNOTATIO XLIX.)

2. Deinde c. 2. eod. prohibetur, ne supellectilia profana (sive propria clericorum, sive aliena et laicorum sint) « in ecclesiis admittantur, vel ponantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes ad eas oporteat habere refugium. » Ob quem textum doctores cum Abbate communiter hic notant, quod urgente necessitate possint templa, et ecclesiae etiam muniri, ac per milites defendi contra hostes, quia « quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, » c. 4. de Reg. jur. Cessante autem necessitate cessare iterum debent, et ab ecclesia amoveri ea, quae ibidem extra necessitatis casum licite esse non possunt, ut cit. c. 2. h. t. habetur: ubi insuper severe praecipitur, « ut oratoria, vasa, corporalia, purificatoria, et reliqua ecclesiae, ejusdem ministrorum vestimenta munda, et nitida conserventur. » Ratio subjungitur, « nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quae dedecet etiam in profanis. » Quod utinam magis observarent quidam parochi, quorum ecclesiae, earumque paramenta, et vestimenta subinde ita sunt constituta, ut aspicientibus quibusvis displicentiam, et consecrantibus creent horrorem. (ADNOTATIO L.)

TITULUS XLV.

De reliquiis, et veneratione Sanctorum.

1. Ratio ordinis. — Post habitam cognitionem de custodia Eucharistiae, chrismatis, et veneratione sacramentorum, merito sequitur Rubrica de Reliquiis, et veneratione Sanctorum. Circa materiam hujus tituli (qui extat etiam in sexto, Clementinis, ex Extravag. comm.) habetur decretum concilii Tridentini sess. 25. De Invocatione, veneratione, et reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus. Ac novissime providentissimum decretum Urbani VIII. quoad imagines, et miracula nondum canonizatorum vel beatificatorum, etc. emanatum 1625. die 13 martii, incipit

Sanctissimus, et habetur tom. IV, Bullarii Cherub. constit. 39. dicti Pontificis, estque confirmatum in alia constitutione ejusdem pontificis, incipit Coelestis Jerusalem, ac refertur in dicto tom. IV, constitut. 135 dicti Pontificis, una cum declaratione dictum decretum mox sequente.

§ I.

DE VENERATIONE, ET CULTU SANCTORUM, BEATORUM, AC CUM FAMA SANCTITATIS DEFUNCTORUM; ATQUE DE CANONIZATIONE, ET BEATIFICATIONE EORUMDEM.

2. Sanctus quis sit, et dicatur? — Quaeritur I. Quinam sint, et dici valeant Sancti? Item, quid sit canonizatio, et beatificatio, ac in quo differant? Resp. I. Quamvis in sensu largiori omnis ille sit, et dici valeat Sanctus, qui in gratia sanctificante, seu habituali existit, praesertim si virtutibus, et perfectione splendet, juxta illud, qui sanctus est, sanctificetur adhuc, tamen regulariter loquendo, et proprie ad propositum Sanctus est, et dici potest omnis et solus ille, qui rite canonizatus, id est, per Pontificem albo, seu numero et catalogo aliorum Sanctorum publice, solemniter, ac canonice adscriptus, atque tanquam Sanctus declaratus, et definitus est, addito statuto, ut ab omnibus Christi fidelibus pro tali habeatur. Fagnanus, in cap. I. h. t. n. 2. et ibi doctores communiter.

3. Quis beatus? — Resp. II. Pariter, licet in sensu largo varii sint, ac dicantur beati, tamen proprie, et ad propositum loquendo beatus est, et dici potest omnis et solus ille, qui ex speciali concessione summi Pontificis ab aliqua provincia, religione, vel loco tanquam in caelis existens, cultu aliquo publico v. g. recitatione divini officii, celebratione Missae, expositione reliquiarum ejusdem publica, prout nempe, et quantum concedit Papa, coli et venerari valeat. Castro Palao p. I. tract. III, disp. 1. pun. 5, § 5, n. 1; Tanner, tom. III. disp. 1, q. 4, n. 290, et seqq. cum communi.

4. Canonizare et beatificare, quid? — Resp. III. Ex dictis manifestum est, quod canonizatio, seu canonizare aliud non sit, quam solemniter, et canonice aliquem inscribere albo, seu numero, et catalogo sanctorum, atque auctoritative declarare, et definire, eum existere in caelis, simulque sta-

tuere, ut ab omnibus Christi fidelibus pro Sancto habeatur beatificatio autem, seu beatificare aliud non sit, quam rite ac legitime concedere alicui certo regno, provinciae, religioni, vel loco facultatem, quod aliquis tanquam in caelis existens cultu publico, celebratione Missae v. g. recitatione divini officii, etc. juxta determinationem concedentis venerari, ac invocari possit. Doctores citati, atque in re communis aliorum.

5. Differentia inter utrumque. — Ex his colligitur etiam differentia inter sanctos, et beatos, item inter canonizationem, et beatificationem. Nam in canonizatione praecipitur et statuitur, ut canonizatus ab omnibus Christi fidelibus pro sancto habeatur, et coli possit quovis cultu publico. In beatificatione vero tantum conceditur, non autem praecipitur, ut aliquis cultu aliquo per Pontificem determinato, et quidem non a toto mundo christiano, sed tantum a certo v. g. regno, provincia, loco, religione, etc. coli valeat, quamvis caeteroquin pro beato, et in caelis existentii haberi et credi debeat, juxta dicenda infra.

6. Canonizare et beatificare solus Papa potest. Causae majores Ecclesiae reservatae sunt Papae. — Quaeritur II. An solus Papa canonizare, et beatificare possit? Item, an in Sanctorum canonizatione, vel beatificatione errare possit? Resp. De facto solus Papa potest aliquem canonizare, vel beatificare. Fagnanus, in cap. I, h. t. n. 20, et ibi Barbosa, n. 3; Innocentius, n. 2; Abbas, Joan. Andreas, et doctores omnes, arg. cit. c. I. h. t. ibi: « Cum etiam per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto absque auctoritate Ecclesiae Romanae venerari. » Ratio est, quia majores causae Ecclesiae, qualis procul dubio est canonizatio Sanctorum, referendae sunt ad Sedem apostolicam, c. III. prin. de Baptism. eique specialiter reservantur, c. IV. de Offic. legat. Plures alias rationes vide apud Hostiensem, in cit. c. 1. h. t. et ibi Fagnanus, n. 27. et Glossa, in c. un. eod. in 6. §. Sedis apostolicae. Infertur proin, quod episcopus etiam pro sua diocesi nullum possit canonizare. Imo canonizandi potestas nec concilio generali absque auctoritate Romani Pontificis competat, secundum Barbosam, quem sequitur Pirhing, h. t. n. 3. et alii.

7. Canonizare olim poterant episcopi. — Dicitur de facto, quia antiquitus ante introductionem solemnem, qui nunc servatur, rite

tus canonizandi, plures Sancti post felicem eorum obitum, communi episcoporum, et populorum consensu declarabantur, et colebantur, qualis proin erat quaedam canonizatio, Papae et totius Ecclesiae, quae errare non potest (Matth. xvi, 18) iudicio, consensu, et consuetudine introducta; uti post alios notat Layman, lib. IV, tract. VII, cap. v. n. 1. Primus siquidem Papa, qui Sanctos solemniter canonizasse legitur, videtur fuisse Leo III, electus 796. ut notat Bellarminus de Sanctis, cap. VIII. Imo olim poterat quivis episcopus pro sua diocesi aliquem canonizare, cultumque publicum eidem exhiberi mandare; prout cum aliis notat Bellarminus, loc. cit. Verum hodie omnis talis potestas episcopis ablata, solique Pontifici reservata est per jura, et rationem n. praeced. allatam, cui accedit, ne alias ob aliquorum episcoporum simplicitatem in tam gravi causa populum decipi, et abusus fieri contingeret, ut post Hostiensem notat Fagnanus, loc. cit.

8. Papa in canonizatione sanctorum non potest errare. — Quaeritur III. An Papa in canonizatione aut beatificatione Sanctorum possit errare? Et an de fide sit, quod errare in hoc non valeat? Resp. Papa in canonizatione Sanctorum non potest errare. Fagnanus, in c. Venerabilis. de Testib. a n. 10; Sylvester §. Canonizatio. n. 2. Covarr. lib. I. Variar. resolut. cap. x, n. 13; divus Thomas, quodlib. 9, art. fin. et communis aliorum contra Gloss. in c. un. h. t. in 6. §. Sedis apostolicae, qui a potiori etiam fatentur, quod etsi conclusio non esset de fide, temerarium tamen, scandalosum, haeresi proximum, eamque sapiens esset, dicere Pontificem errare posse in canonizatione Sanctorum. Imo aliqui, ut Castro Palao, loc. cit. n. 2. Joan. de Neapoli citatus apud Fagnanum, loc. cit. n. 29; Valent. 2. 2, disp. 1, q. 1, p. 7, a. 6, § 40, §. Itaque. et alii absolute docent conclusionem esse de fide, et contrarium docentes, esse haereticos. Verum quia quaestio haec potius ad controversistas, quam canonistas pertinet, hic abstrahimus, et lectorem benevolum ad controversistas remittimus. Tractat tamen eandem quaestionem insigniter Fagnanus, loc. cit.; Castro Palao, loc. cit.

9. Ad eam requiritur probitas vitae et miracula ante et post mortem. — Quaeritur IV. Quenam requirantur ad canonizationem, vel beatificationem alicujus? quomodo? et a

quo fieri possit, ac debeat? Resp. I. Tam ad beatificationem, quam canonizationem duo copulative requiruntur, videlicet miracula, et excellens probitas vitæ. Fagnanus, in c. 4, h. t. n. 3, et ibi Innocentius, n. 4; Joan. Andreas, n. 4; Anchoranus, n. 5. cum communi, arg. c. *Venerabili*. 52, de *Testib.* ut proin nec sola vitæ probitas quantumvis eminent, nec sola miracula sine excellenti vitæ probitate sufficiant; prout clare habetur in Bulla Gregorii IX, edita pro canonizatione sancti Antonii de Padua 1232, 4 junii, incipit: *Cum dicat Dominus*. Et habetur in tom. I. *Bullarii* Cherub. constit. 4 dicti Papæ, ibi: « Licet ad hoc, ut aliquis sanctus sit apud Dominum in Ecclesia triumphante, sola sufficiat finalis perseverantia, juxta illud *Apocal.* II, 10: *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ*. Ad hoc tamen, ut sanctus habeatur apud homines in Ecclesia militante, duo sunt necessaria: virtus morum, et veritas signorum; merita videlicet, et miracula, ut hæc et illa sibi ad invicem contestentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctificationis. »

10. Porro miracula non tantum in vita, sed etiam post mortem alicujus sunt necessaria ad ejusdem canonizationem, ut bene observat Glossa, in c. un. h. t. in 6. §. *Sedis*, communiter recepta, teste Marcardo, concil. 26. n. 42. Et quidem vere, ac proprie talia; etenim improprie et large talia, falsa item et ficta etiam ope dæmonis, vel per naturam et artem fieri possunt, prout fecit Simon Magus, et magi apud Pharaonem, can. *Teneamus*. cau. 1. q. 1. Quænam autem sint vera miracula, et quid requiratur ad ea, dicetur infra n. 33. et seqq.

11. *Exceptis martyribus*. — Limitatur autem conclusio in martyribus, utpote in quorum canonizatione non multum de vitæ probitate, nec de miraculis tempore vitæ peractis, sed præcipue de miraculis post mortem, et de causa, ob quam passi sunt, indagatur, ut notat Mascardus, loc. cit. n. 9. et observat Hostiensis, in c. 4, h. t. n. 3, et post ipsum Fagnanus, loc. cit. n. 16. et alii, arg. can. *Baptismi vicem*. 34. et can. *Catechumenum*. 37, de *Consecrat.* dist. 4, quibus concordat generalis illa promissio Christi, *Matth.* I, 39. *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*.

12. *Canonizatio et beatificatio quomodo*

fiant? Resp. II. Ante canonizationem, vel beatificationem alicujus fit exactissima, strictissima, ac cautissima inquisitio, examen, et processus, super vita, moribus, virtutibus, fama, et miraculis canonizandi, aut beatificandi, ita ut omnis locus, et via fraudi, deceptioni, aut errori præcludatur. Et merito; cum enim Sanctorum canonizatio sit una, ex principalissimis, ac maximis causis Ecclesiæ, omnino decet, ut omni, quo potest, modo meliori, perfectiori, ac securiori tractetur. Quomodo autem, et qualiter fiat hic processus, quæ praxis, et ceremoniæ in illo observentur, quibus virtutibus, vitæque moribus inquiratur, etc. per integrum tomum exacte, ac practice tradit *Mattha de Canonizatione Sanctorum*.

13. *Non tractatur de ea ante lapsum quadraginta annorum, nec finitur ante centum annos post mortem servi Dei*. — Illud solum notandum: quod sancta Sedes de facto regulariter tractare non soleat de canonizatione, vel beatificatione alicujus, donec elapsi sint quadraginta anni a morte servi Dei, prout ex decretis et praxi sacræ congregationis bene notat Landuscha in *Theatro regular.* §. *Beatificatio*. n. 1. ubi etiam subjungit tempus ad actualem canonizationem necessarium de facto esse centum annorum: quamvis olim secus fuerit, ut patet in canonizatione S. P. N. Francisci secundo anno post obitum ipsius facta per Gregorium IX. et in canonizatione sancti Antonii Paduani, per dictum Pontificem facta ante annum integrum elapsum a die obitus prædicti Sancti, Pontificem ad eam movente ingenti numero stupendorum miraculorum. Imo etiam de facto quandoque ob specialem dispensationem ac dispositionem summi Pontificis dictum tempus non observatur, ut patet in sancto Francisco Salesio, mortuo primum 1622, et tamen per Alexandrum jam canonizato 1668, ut videre est in Bulla canonizationis ejusdem, quæ incipit *Ecclesia catholica*, et habetur in *Bullario* Cherub. tom. V, constitut. 170 dicti Papæ.

14. *Neque inchoatur ante instantiam principum*. — Porro etiam post finitum tempus memoratum non fit actualis aliqua canonizatio, nisi sub illo, aut post illud fiat instantiæ ac supplicationes pro ea a pluribus principibus personis, quæ etiam fieri plerumque solent ab aliquibus communitatibus, magistratibus, etc. instando, ut Papæ servum Dei in Sanctorum numerum referat,

prout ex praxi bene observat Mascardus, concl. 261.

15. *Episcopi possunt et solent processum citius incipere*. — Quibus non obstantibus possunt, et solent episcopi etiam ante lapsum quadraginta annorum interim instituere processum, et inquisitionem sive judicialem, sive extrajudicialem super miraculis, fama sanctitatis, vita, moribus, ac certis virtutibus alicujus, idque ideo, ne alias per mortem testium pereant necessariae probationes, atque ut sancta Sedes suo tempore melius informari queat: uti bene observat Landuscha, loc. cit. et docet post alios Barbosa, allegat. 97. n. 4. ubi addit, quod hujusmodi processus, informationes, inquisitiones, et examina per episcopos, aut eorum vicarios, vel deputatos ab eis, servatis de jure servandis facti, legitimi sint et validi, possitque ex eis Papa ad canonizationem, aut beatificationem procedere, quamvis hoc facere non soleat, cum feste stylo Curie novus semper auctoritate apostolica fieri soleat processus, vel saltem stricte examinetur processus ab episcopo factus, an rite ac legitime fuerit peractus.

16. *Cultus alius publicus, alius privatus*. — Quæritur V. Quo cultu, ac veneratione coli possint Sancti, aut Beati? Ante responsionem notandum, cultum alium esse absolutum, alium respectivum, alium patriæ, alium superdulie, alium dulie, de quibus theologi, et vide etiam dicta in *Theologia* nostra *moralis*, tract. V, dist. 4, q. 3 et 4. Insuper alium esse, et dici cultum publicum, alium privatum. Privatus est, qui non exhibetur nomine Ecclesiæ, nec tanquam institutus ab ea, sed fit ex privata devotione colentis, recitantis v. g. in honorem alicujus privatas aliquas preces, vel in honorem ejusdem, jejunantis, se mortificantis, sive dein in occulto, sive in publico, et aliis videntibus talem cultum exhibeat. Cultus publicus est, qui fit nomine Ecclesiæ, vel tanquam institutus ab ea, sive dein publico in loco, sive in occulto fiat; Cultus enim publicus, seu solemnus non ideo talis appellatur, quod publice, vel coram aliis exhibeatur, sed quia defertur nomine Ecclesiæ, vel tanquam institutus ab ea, uti post Bellarminum, Sanchez, et alios, bene docet Bonacina, tom. II, disp. 3, pun. 2, n. 2, contra Barbosam, loc. cit. n. 13. Hoc notato:

17. *Sancti ac beati coli possunt cultu publico et privato: quomodo?* — Resp. I. Cer-

tum, ac de fide est, illos, qui jam fuere canonizati, vel saltem beatificati, coli posse cultu dulie tam publico, quam privato. Ita omnes tam theologi, quam canonistæ, et controversistæ, quorum ultimi conclusionem ex professo ad longum probant, et specialiter contra hæreticos demonstrant, per cultum et venerationem sanctorum penitus nullam committi idololatriam. Illud tamen hic notandum, quod actu canonizati coli possint quovis dulie cultu publico; e contra vero beatificati non nisi in illo loco, illoque cultu publico, quem concessit Pontifex, utpote qui in beatificatione alicujus non quemvis cultum publicum, sed unum, vel plures determinatos admittit, prout supra jam diximus, et per hoc inter alia beatificationem a canonizatione distingui docuimus. Circa beatos nondum canonizatos attendendum etiam est decretum sacræ Congregationis, quod refert Landuscha in *Theatro regularium* sequentis tenoris:

« Ad aures eminentissimorum Patrum Congregationis sacrarum Rituum plures devenerunt, qui patrantur iudulorum excessus in materia præstationis cultus beatis adhuc non canonizatis, quamobrem eos eliminare, ac ne in futurum inducantur, providere studentes ad infrascripta devenerunt decreta, et

« 1. Quod eorum beatorum imagines, etiam non principaliter et uti simplices appositæ, simulacra, picturæ, tabellæ, aut scripturæ, eorum præclara gesta representantes, aut referentes, in ecclesiis, sacraliis, et oratoriis quibuscunque, et præsertim in quibus Missæ sacrificium, vel alia divina officia peraguntur, inconsulta Sede apostolica, nullo modo exponantur.

« 2. Quod ubi indultum fuerit per Sedem apostolicam, imagines, simulacra, pictasque tabellas in ecclesiis poni, et coli posse, in pariete tantum, non autem super altari collocandi facultas tributa censeatur.

« 3. Quod si concessa fuerit per eandem Sedem apostolicam, altarium erectio, non tamen ob id Missam, et Officium de prædictis beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præsumatur; etenim specifica, et expressa concessio super his præcedere debet.

« 4. Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur inconsulto Pontifice ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate.